

D. F. G.  
SPECIMEN THEOLOGICUM,  
QUÆSTIONEM

DE

SALUTE GENTILIUM  
ÆTERNA  
LEVITER EXPENDENS,

QUOD,

CONS. MAX. VENER. FACULT. THEOLOGICÆ  
IN REG. ATHENÆO ABOËNSI,  
MODERANTE

VIRO MAX. REVER. ATQUE CELEBERRIMO,  
D:NO MAG. CHRISTIANO  
CAVANDER,

S. S. THEOL. PROFESS. REG. ET ORD.

PUBLICE VENTILANDUM MODESTE PRÆBET

GUSTAVUS LEVIN,

PHIL. MAG. ET ADJ. MIN. IN ST. MARIA.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XVII MAI  
MDCCCLXXXIII.

HORIS ANTEM. CONSVENTIS.

---

ABOÆ,

TYPIS VIDUÆ REG. ACAD. TYPOGR. JOH. C. FRENCKELL.

Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύοντες ὅποι ὁ Ιησὸς εἰν αὐτῷ  
κλείσθεται ὁ υἱὸς τῷ Θεῷ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχοντες εἰν αὐτῷ.  
μηνὶς αὐτῷ. Joh. xx: 31.



## PRÆFATI.

**D**e gentilium salute, non nostro primum ævo an-  
ceps & perardua sane inventa, sed antiquioribus  
jam temporibus inter eruditos variis animorum motibus  
agitata est controversia. Qui enim prioribus modo, ut di-  
ci solet, labris Historiam Theologie degustaverit Littera-  
riam, facile animadverteret, quæstiones & præjudicia hu-  
jus generis, jam priscais lœculis excogitata sèpiusque con-  
futata, non defuisse. Recentiori vero præsertim tempo-  
re ea denuo invecta, paululum mutata, assidue fulta &  
polita sunt, occasionemque agminibus curiositatum de-  
derunt, simplicitati, rerum Divinarum gravitati apprime  
respondenti, maxime repugnantium; quas, mundo sene-  
scente, fermento suo mortifero, tam ex Theologia quam  
Philosophia relegando, infectas, magis magisque revire-  
scere dolemus! Naturalistis quippe non unius generis &  
Indifferentistis, aliisque nonnullis antiquioribus & recen-  
tioribus Hæreticis, verbi nimis Divini, reconciliatio-  
nis per Christum factæ, & profundissimæ nostræ corru-  
ptionis contemtoribus ac hostibus, qui diversis tempori-  
bus eo impudentiæ processerunt, ut varia adminicula &  
speciem habentia argumenta, ad placita sua struenda de-  
fendendaque, excogitare & disseminare non intermitterent  
nec vererentur, opiniones hujus farraginis in primis sunt  
familiares. Quanta jam horum occurrat multitudo, qui  
periculosisssimis moliminiis suis, ad jugum scrupulorum  
virulentissimorum, quibus ex nexu hypothesis suarum

noxiarum inhærent, cervici nostræ imponendum cupide  
 conspirarunt, nunquam satis deplorari potest. Ast quod  
 simul maxime lugendum! dogmata hujusmodi non so-  
 lum ab omnibus corruptæ rationis filiis & admiratoribus  
 furioso quodam atque impudenti impetu commendan-  
 tur; verum etiam haud pauci eorum, qui puriori ex  
 verbo Dei haustæ doctrinæ se addictos esse profitentur,  
 versipellium horum opinionibus, in nimis libera ac fi-  
 gmentis cerebri humani contaminata veritates Divinas  
 tractandi ratione, doctas suas jam præbere aures, conje-  
 cturisque, (ne quid durius dicam), illorum audacibus, in  
 variis argumentis, tenaciter adhærescere incipiunt. Mitto  
 nunc alios, & de illis solum loquor, qui nostra ætate  
 gentilium, legem naturæ quantum valeant observantium,  
 salutem defendunt æternam, idque in primis ob meri-  
 tum Christi, ipsis licet ignotum. Ne quem ullo videar  
 læsisse modo, viros præclarri ingenii & haud obscuræ i-  
 mo celeberrimæ famæ nominare nolo. Sufficiat nemini  
 nem in harum litterarum castris vel mediocriter versa-  
 tum fugere posse, plures nostro exstisso ævo, qui ma-  
 gno verborum apparatu & argumentorum undique con-  
 gestorum copia hanc propugnarunt sententiam. Quandoqui-  
 dem igitur specimen aliquod Theologicum edere decre-  
 vi, operæ pretium duxi, in hac quæstione breviter &  
 modeste examinanda tenues ingenii vites periclitari. Lu-  
 bens concedo, vehementer optandum esse, ut omnes  
 homines, tam intra quam extra Ecclesiam Christianam,  
 æterna felicitatis fierent participes! Et ideo dogma qui-  
 dem de salute Ethnicorum, Evangelii ignarorum, hone-  
 ste viventium, nihil ingratii, horridi atque periculosi in  
 se primo adspectu continere videtur. Quum vero beni-  
 gnissimum Numen verbum suum revelatum nobis con-  
 cesserit, nec in illo Oeconomiam inter gentes suam ple-  
 ne manifestaverit, aut sententiam de iis alicubi aperte di-  
 xerit,

xerit, multo minus id a nobis requisiverit, verum potius prohibuerit 1 Cor. V: 12, 13. adeoque sibi judicium de iisdem retervaverit: quare etiam temeritate & invidia non carere jure dicitur, si tacente uno mortaliuni judice, nos non taceremus, sed præjudicio nostro ejus occuparemus sententiam Rom. XIV: 4; satis patet, operam in prælenti materia evolvenda meam in eo veriari debere, ut sedulo disquiram, quid convenienter principiis sanæ rationis & supernaturalis revelationis, quæ facta teatque conservanda sunt, de hac controversia tenendum sit, & an virorum ab adversa parte pugnantium, quos alioquin suspicimus, argumenta adeo convincentia sint habenda, ac sibi aliisque persuadere conantur. Hunc autem laborem dum adgredior, ad Deum supplex confugio, devotissime orans, velit auxilium suum, quo incepta mea prospera reddantur, ex summa bonitate mihi impertire! Tuum etiam B. atque Cand. L. mihi pollicor favorem, placidae Tuæ censuræ innoxium hunc conatum commendans.

## §. I.

Licet universus hicce rerum creatarum complexus, eaque omnia, quæ mundo huic adspectabili insunt, mirabili sapientia a Summo Numine adornato, multa perfectionum Summi rerum Conditoris, cuilibet ad indeolem rerum considerandam oculos animumque advertenti, præbeant documenta; res tamen quæ peculiari sua gaudent præstantia scrutantes, simulque ad nosmet ipsos præcipue attendentes, maxima & excellentissima magnalium Divinorum hic exhiberi specimina ac testimonia, facillime nobis persuadebimus. Deus enim, qui caussa est prima, a qua totum hoc universum pendet, tot tamque præclaris nos præ aliis animalibus ornavit beneficiis, ut

inter res in mundo obvias nullas inveniamus, tot ac tan-  
 tis a Creatore Optimo Maximo instructas proprietatibus,  
 quæ quantisque nosmet excellere animadvertisimus. Quo-  
 modo vero Deus, qui sibi est sufficientissimus, omnes-  
 que possibles in se comprehendens perfectiones, quæ i-  
 plam æternam Ejus Majestatem constituant, protoplastos  
 nostros in imagine sui ad similitudinem suam creaverit,  
 quantaque beneficiorum testimonia, eosdem salvos feli-  
 cesque reddendi, reliquerit, verbum Ejus scriptum facis  
 superque testatur Gen. I: 26. Homines nimicrum primi,  
 in primæva sua innocentia constituti, ut creature intellec-  
 tu & voluntate libera præditæ, non solum vi sapientiæ,  
 quæ in intellectu eorum eluxit, Deum summum istud  
 bonum, omnisque boni fontem & scaturiginem, non po-  
 tuerunt non cognoscere Col. III: 10; verum etiam qua  
 sanctitatem ac rectitudinem voluntatis, quæ cum volun-  
 tate Creatoris erat conveniens, ea, quæ intellectus recte  
 jubebat facienda atque monstrabat desideranda, ipsis fue-  
 runt jucundissima atque præstitu facillima Eph. IV: 24.  
 Creati vero ad fruitionem vitæ æternæ, certo temporis  
 intervallo, ex Divina voluntate in statu explorationis,  
 quo occasionem haberent obsequium suum Deo declara-  
 randi, transacto, cultuque Deum ex vivida Ejus cogni-  
 tione resultante prosequentes, in statum gloriæ æternam  
 que vitam ac beatitudinem erant transferendi. Hinc abun-  
 de constat, statum eorum felicissimum fuisse, beatitudi-  
 nemque, ut intermedium creationis finem, gloria Dei  
 seu perfectionum Ejus manifestationi, scopo omnium re-  
 sum ultimo, in ipsa creatione a Numinе subordinatum  
 & intentum, non modo propriis hominum viribus, justi-  
 tia Divinæ ex alse satisfaciendo, sed etiam sibi ipsis obe-  
 dientia exactissima legi Divinæ exhibita, justitiam acqui-  
 rendo, obitineri potuisse. Cum autem primi parentes,  
 propria sua culpa, & diaboli, totius generis humani ini-  
 mici,

ni, atrocissimis barathri panurgijs, voluntate sua libera abuterentur, de arbore vetita scilicet comedendo, & hoc peccato suo gravissimo, iræ Divinæ, temporalis & æternæ mortis ac damnationis se reos facerent; Φιλαθεωπία illa nunquam satis celebranda, qua Deus in æternitate inductus, per primum Evangelium de benedicto illo semine mulieris, in temporis plenitudine venturo & caput serpentis contrituro Gen. III: 15. foedus gratiæ, cum toto genere humano, sanguine Filii sui redimendo, erectum esse manifestavit. Quæ quam ita sint, duplicem viam salutis obtainendæ in genere dari, scilicet vel per propria vel aliena opera, nobis tacentibus, attento cuivis hinc jam ad oculum patet.

## §. II.

Quod ad viam per propria opera ad salutem pervenienti attinet, propria legis Divinæ impletione, cui homo, excellentissimis a Deo donis instructus, exesse satisfacere obligatur, eandem procurabit, necesse est. Lex autem Dei, seu doctrina Divina, in qua justissima & immutabilis Ejus voluntas revelatur, quales nos esse oportet in nostra natura, cogitationibus, desideriis, dictis & factis Deut. VIII: 6. X: 12. XI: 22. obedientiam, non modo intensive, respectu totius hominis Matth. XXII: 33. Deut. XXVI: 16. & extensive, respectu omnium præceptorum Jac. II: 10. Deut. XXVII: 26. verum etiam protective, respectu perseverantiae Ez. XVIII: 22. 24. requirit perfectam: adeo ut homo non solum omnia sua cogitata, dicta & facta, omnes motus & affectus cordis, ad normam legis Divinæ dirigat attemperetque; verum etiam singula præcepta illius, singulis vitæ suæ partibus, sine intermissione farta testaque habeat, si in sancta cum Deo communione, æterna frui poterit beatitate. Si ita

que mortales legi Divinæ adeo exactam possent præstare obedienciam, nullum est dubium, quin perfectionibus Divinis convenienter agentes, felices in æternum evadent. Quo certius autem constat, prælucentem intellectum ac decernentem voluntatem, duas istas mentis facultates, circa agenda atque fugienda, sui muneris sive officii observantissimas, in omni actione adesse; eo firmius assurrit, perfectam Dei rerumque cognitionem a parte intellectus, atque sanctitatem a parte voluntatis requiri, si homines viribus suis, opera salute æterna digna facere possent. Scriptura vero Sacra abunde docet, primos parentes peccasse, legisque Divinæ violatione, imaginis Dei, qua instructi erant, jacturam fecisse, in cuius locum, maxima humanæ naturæ objective & subjective universalis corruptio succedit, eosque ira Dei & æternæ damnationis reos fecit Rom. V: 12. Iqq. VI: 23. Eph. II: 3. Joh. III: 36. Hæc ad omnes posteros eorum per naturalem generationem propagata Gen. V: 3. 1 Cor. XV: 47-49. atque objective universalis considerata depravatio, est complexus omnium vitiorum, dominatio ne mortis ac potestate satanæ conjunctus Eph. II: 1, 2, 5. Rom. V: 14. Act. XXVI: 18. Subjective vero universalis inest omnibus hominibus, naturaliter ex primis parentibus descendantibus; qui naturales protoplastorum participant qualitates Joh. III: 6. Rom. III: 10. 23. V: 12. 18. atque gravissimum in intellectu eorum cognitionis & in voluntate sanctitatis defectum arguit; adeo ut in locum sufficientis in intellectu lucis, densissimæ succelerint tenebrae Eph. IV: 18. V: 8. & loco sanctæ voluntatis, proclivitate atque habitu legem violandi & impotentia bene agendi infecti, non modo ulla habeamus vires legem Dei servandi, sed toti quanti peccati mancipia Rom. VI: 17. VIII: 7. continuo peccemus Gen. VI: 5. VIII: 21. 1 Reg. VII: 46. Ps. LI: 7. II Cor. III: 5. Rom. III: 12. VII: 14.



## §. III.

Hanc naturæ nostræ, præcipue moralis, ingentem  
funestamque corruptionem, num ratio, experientiam con-  
sulens, ex domesticis principiis cognoscere valeat, a præ-  
senti proposito alienum non esse videtur paucis attinge-  
re. Ratio humana, eximum plane Dei quidem est do-  
num, pro statu tamen prælenti adeo arctis circumscripta  
cancellis, ut in densissimis remaneamus tenebris, cupidi-  
tibusque nostris pravis indulgentes, noxam ignorantiae  
in varia deterrentis devia irinera, non possimus effugere,  
nisi animus debita industria atque diligentia excolatur.  
Licet etiam ratione exculta variarum rerum nobis acqui-  
siverimus cognitionem, maximosque in hoc negotio fe-  
cerimus progressus; pomœria tamen rationis ultra sphæ-  
ram suam non sunt dilatanda, sed vires ejus intra limi-  
tes, quos agnoscere tenetur, coercenda sunt, II Cor. X:  
5. nisi, cœstro quasi perciti, omnia vacillante ipsius de-  
cempeda nobis metienda sumamus. Plurimæ quippe ad  
salutem aternam obtinendam necessariae veritates, e luce  
revelationis Divinæ hauſtae, ita omnino sunt comparatae,  
ut sphæram rationis superent; quare ratio in lucem ea-  
rum emergere nequiens, easdem non potest non &  
penitus ignorare, & circa illas, cum revelatae fuerint, anci-  
piti & dubia industria scrutando fluctuare. Quamvis au-  
tem variae dentur veritates, quas Divina revelatio con-  
tinet, quæ, rationi minime perviae, captum ejus ita su-  
perant, ut ea sibi relicta vix ac ne vix quidem de iisdem  
somniae valeat; interim tamen, si indelem rationis qua-  
lis jam est, curatius consideraverimus, nec usum ejus  
plane tollere voluerimus, fatendum, rationi non esse im-  
pervium, ex mundi hujus universi artificio debita atten-  
tione contemplato, perfectissimum a nullo pendentem ar-  
tificem agnoscere, quem nomine Dei, a quo nos & o-  
mnia

mnia visibilia æque ac invisibilia pendent, veneramur.  
Quatenus autem res creatæ a Deo omni modo suam agnoscunt dependentiam, eatenus absolute ipsis repugnat independentia, & tamquam servi Dei, perfectissimo Eius subsunt dominio. Hinc nullum est dubium, quin homines, ut creature rationales, obligati sint, omnes, internas & externas, actiones suas liberas, ad voluntatem Dei, cui jus illimitatum in singulas res creatas competit, accommodare. Jam quale ab una parte est jus Creatoris in creature, talis ab altera, in creature dependentia fundata, est obligatio; jus enim & obligatio in exactissima sunt proportione, h. e. in quantum quis suam ab altero agnoscere debet dependentiam, imperioque alterius est subjectus, in tantum etiam servus ejus est, & ad voluntati illius obsequium præstandum tenetur. At jus Deo, in omnes actiones hominum liberas, competit illimitatum; ergo obligati sunt ad voluntati ac legi Ejus exactissime morem gerendum. Nemo autem mortalium, cui sana mens, cui tanum est sinciput, qui experientia magistra, rectaque ratione duce videre non possit, leges Divinas vario a se haud raro violatas esse modo, actionesque, quas non nunquam suscipit, & propriæ suæ præstantiæ ac veræ felicitati, & perfectionibus atque voluntati Divine e diametro repugnare. Lugubris enim cuiuslibet experientia satis superque comprobatur, adeo crassis ignorantiae tenebris intellectum nostrum esse obductum, voluntatemque ad quævis turpissima etiam scelera patranda adeo proclivem, ut ne unicus quidem, nisi sibi adulari velit, affirmare audeat: se immoderatorum affectuum sordibus conturbatum atque fascinatum non esse, nec unquam pravis carnis libidinibus se obtemperasse, nec denique quicquam cogitasse vel admisisse præceptis Dei contrarium; sed omnes actiones suas, per totum vitæ curriculum, ad voluntatem Dei componendo, Eundem

9

dem, ut summum suum bonum, super omnia ex toto pectore amasse. Hæc nos eo minus fugere poslunt, quo certius constat, gentium profanarum philosophos corruptionem hanc suam ope rationis aliquo modo agnoscisse, ut ex testimoniosis a *Grotio*, *Pfannero*, *Huetio*, aliisque collectis patet; licet corruptionis hujus ortum, indelem, magnitudinem, universalitatem, reatum & culpam ignoraverint, neque remedia ex hocce malo re vera emer-gendi, Deum placandi, conscientiam tranquillandi, vi-tamque emendandi, sibi ipsis propicere potuerint.

#### §. IV.

Quum autem Deus sit ens infinitum, indoles vero essentiæ Divinæ, quæ complexum omnium attributorum Ejus denotat, per ipsa hæc attributa, non realiter sed no-stro concipiendi modo ab essentia diversa, manifestetur; bonitatem, quam Deo adsignamus, infinitam etiam esse oportet. Quid itaque conatibus eorum tribuendum, qui ex bonitate Divina argumenta, pro salute eorum, qui legem Dei perfecte non implet, depromere annuntuntur, jam dispiciendum. Deum hocce, varias, pro diversitate objectorum, circa quæ se exserit, habente denominatio-nes, gaudere attributo, plurima Sacrae Scripturæ evincunt effata. Inter hæc sequentia eminent loca Gen. I: 31. Ex-od. XXXIV: 6. Ps. CXLV: 7. 8. Jon. IV: 2. Matth. XIX: 17. Rom. II: 4. Joh. III: 27. Eph. I: 6. II: 4. 7. Bonitas hæc Dei essentialis, vel absoluta vel relativa est. Qua bonitatem, quæ absoluta vocatur, Deus se ipsum, & summas suas perfectiones, quibus se delectat, non potest non velle atque adprobare, & omnia, quæ cum perfectioni-bus suis Divinis necessariam inferunt congruentiam, ne-cessario velle, & recta bonaque æstimare. Qua relati-vam autem, ut omnis boni fons & scaturigo, creaturis

perfectiones, quatum sunt capaces, conferre satagit, & imperfectiones omniaque mala tollere studet. Verum enim vero, quia ob sanctitatem, quam simil perfectissima Ejus essentia, ut essentiale attributum includit, nihil potest velle neque intendere, quod perfectiones suas infringat; in propatulo est, idem summum & omnis imperfectionis expers Numen, totam hanc rerum universitatem, civesque suos singulos, sapienter & bene gubernando, nec non cuique, quod salvis legibus recipere potest, tribuendo, voluntatis suæ constantiam agendi id quod rectum est semper servare. Competit itaque Deo justitia æque essentialis, æque æterna, æque infinita & immensa ac bonitas, (cui non repugnat, multo minus eandem tollit); quæcumque enim per essentiam Deo competunt, nec mensuram nec limites agnoscunt. Posita vero justitia Divina, consequens est, Deum actiones hominum qualescumque indifferenter non respicere, nec bona malaque æquali ponderare lance; sed omne bonum appetendo, creaturisque legi & voluntati suæ congruenter viventibus bona conferendo, malum autem infinito & ineffabili odio detestando, omnibus jura sua effrenatis suis cupiditatibus pollutibus pœnas infligendo, judicia sua secundum discrimen, quod inter bonum & malum facit, exsequi. Hinc non difficile est judicatu, summar esse necessitatis, ut creaturæ, jus superioris, cui obsequium præstanto suam agnoscere debuissent dependentiam obligationemque voluntati Ejus morem gerendi, facta legis transgressione violantes contemtuique habentes, pœnas luant promeritas. Si quid enim Deus de jure suo cedere, iniquitatesque, sine plena accepta satisfactione, transgressoribus posset dimittere, tum bonitas prævalerer justitiæ, justitiaque per peccatum læla foret limitata. Hoc vero, quia Deum imperfectionis arguit, longissime ab ipso est removendum, cuius justitia æque infinita ac bonitas.

) II (

nitas ejusdem, neminem sine sufficiente præstita satisfactione pro delictis, gaudio atque felicitate beare potest æterna. Sicut igitur poenæ necessitas hac ratione probatur, ita simul manifestum, eandem nec majorem neque minorem, quam peccati existit gravitas, esse posse; utrumque enim cum justitia & sanctitate Dei pugnaret. Immo, eadem hæc justitia Deo essentialis & immutabilis comprobat, moraliter quoque impossibile esse, ut jus aggratiandi, b. e. jus poenas sine satisfactione remittendi aut mitigandi, ei competere queat. Effata sententiam nostram confirmantia in Sacris pandectis innumera deprehendimus. Vide sis Deut. XXXII: 22. 35. Jer. XV: 14. Ps. V: 6. XI: 5. 6. 7. L: 21. Rom. I: 18. 32. II: 5. 9. II Cor. V: 10. Col. III: 25. Apoc. XXII: 12. Ex his abunde patet, nullam homini peccatis contaminato, admissæ cum Deo unionis, felicitatisque æternæ obtainendæ, absque poenarum infinite grayium perversione, perfectaque legis impletione patere viam; hominem vero ut minime salutis compotem, vitam suam in tremoribus atque maximis doloribus producturum, neqne fiduciam suam in Deo justissimo, cuius promeritam vindictam atque supplicia ob transgressiones suas metuit atque horret, certo collocaturum, nisi antecesserit notitia viæ operibus alienis apertæ, qua in gratiam Ejus pervenire possit.

### §. V.

Ast misericordia Divina nunquam satis celebranda, homunculum, peccata sua sanctitati Divinæ maxime repugnantia morte æterna piaturum, in hunc miserrimum non reliquit statum; sed Filium Dei Patris unigenitum e folio suo coelesti evocavit, ut humanae naturæ, in Personæ suæ Divinæ unitatem assumitæ, *ὑπόστασιν* & attributa sua Divina communicaret, Joh. I: 14. III: 16. Col. I: 19.

II: 9. & sic operibus suis eam viam salutis constitueret, quæ Deo sit digna, nec quicquam justitiae Ejus rigori ceterisque summis perfectionibus deroget. Ut vero Deus ob peccata offensus reconciliati justitiaeque Ipsius læse satisfieri posset, nec non hominum, qui legem a Deo datam transgrediendo, excellentissima sua dona eandem servandi, quibus in prima creatione instructi erant, penitus amiserant, æternæque fæse morti fecerant obnoxios, salus desperita recuperari quiret, obedientia legali & penalii, sive satisfactione activa & passiva, peccatis omissionis & commissionis accurate respondentem, maxime opus fuit. Satisfactione activa consistit in actibus legem Divinam exactissime & perfectissime impletibus. Passiva vero reatus culpæ & poenæ delictorum perpeccionem includit, sine qua justitia Divina læsa salutem hominum impedit. Mediatorum itaque genus humanum redempturum, ad utramque satisfactionem præstandam obligatum fuisse, extra omnem dubitationis aleam possum est. Christum jam Salvatorem nostrum dulcissimum, seu Filium Dei, qui opus redēptionis libertima sua voluntate & ex immensa bonitate in se suscepit, Ps. XL: 9. Gal. II: 20. I Tim. II: 5. 6. sanctissimumque hoc opus in & cum assumta natura humana complete absolvit, utriusque huic obligationi satisfecisse, innumera tum Veteris tum Novi Testamenti Sacrarum litterarum effata nos ignorare non sinunt. Docent enim Sacrae pandectæ: Deum Christo omnium iniquitates impotuisse, Christumque, qui vir dolorum vocatur, & confessus contulsusque propter peccata nostra dicitur, dolores nostros infernales tulisse, torcular iræ Divinæ calcasse, loco nostri passum & mortuum esse, officioque Salvatoris functum non solum patiendo, sed etiam legem servando læse justitiae Divinitæ satisfecisse, Jes. L: 5. 6. LIII: 3. 4-9. LXIII: 3. Ps. XVIII: 5. 6. XL: 9. 13. LXIX: 6. Matth. V: 17. XX: 28. Rom. IV: 25. V: 8.

18. 19. VIII: 3. 32. 34. X: 4. I Cor. XV: 3. II Cor. V:  
 15. 19. 21. Gal. I: 4. III: 13. IV: 5. Phil. II: 8. Ebr. IX:  
 26. X: 14. I Pet. II: 24. III: 18. Hac itaque agendo &  
 patiendo, seu actione passiva & passione activa, praestita  
 perfecta sua obedientia, Mediatorem egit inter Deum  
 peccatis offendit, hominesque delicta sua morte aeterna  
 piaturos, quos ab ira Divina, maledictione legis & poe-  
 na aeterna, sese pretiosa sua redemtione sacrificium ad  
 peccata eorum delenda offerens, liberavit, aditumque ad  
 coelestia palatia omnibus nobis paravit; adeo ut sanguine  
 Filii cum Deo reconciliati, meritum Illius fide recipientes,  
 salutem nanciscamur aeternam Job. III: 18. Rom. III: 23-  
 25. V: 10. I Cor. I: 30. II Cor. V: 19. Eph. II: 16.  
 V: 2. Col. I: 19-22. Ebr. I: 3. II: 17. VII: 27. I Joh.  
 I: 7. II: 1. 2. I Thess. I: 10. I Tim. II: 6. Tit. II: 14.  
 I. Pet. I: 21. Quia itaque animi veneratione, quo cordis  
 gaudio satisfactionem Christi, quae nobis unice procura-  
 bit salutem, praedicabimus? Immortaliter gloriantes: *ab-  
 sorpta est mors in victoriam. Ubi tuus, mors stimulus? u-  
 bi tua, sepulcrum, victoria?* Aculens vero mortis, (est) pec-  
 eatum: *vis autem peccati, (est) lex. Deo autem (babetur)*  
*gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum JE-  
 sus Christum I. Cor. XV: 54-57.*

## § VI.

Quamvis itaque Deus, qui ab aeterno omnes homi-  
 nes salvare voluit, Filium suum ex immensa bonitate  
 nobis dederit Salvatorem, qui satisfactionem pro totius  
 mundi peccatis praestitit, omnibusque aequa graviter in  
 Adamo lapsis, salutem vi meriti sui adquisivit consequen-  
 dam; satisfactionem tamen a Christo praestitam, opus esse  
 alienum, quod sine imputatione hominibus prodest ne-  
 quit, extra omnem dubitationis aleam positum est. Be-  
 ni-

nignissimum vero Numen, quod ex gratia satisfactionem alienam pro nobis acceptavit, non tolum jus habuit decernendi, qua ratione ad summi hujus beneficij acceptationem genus humanum admitteretur; sed & re ipsa Ei placuit, congruentem indoli mentis humanæ rationalis & liberæ singulis praescribere ordinem, in quo, mediis, qualia hominum corrupta, omnibus ad bene agendum viribus destituta natura postulat, beneficia redemptione Christi parta, ipsis imputentur Jes. XLV: 22-24. Rom. III: 9-12, 23-25. Quod autem bona haec coelestia, in nos transferri nequeant, nisi ex parte nostra ista obtineat conditio, latius sic dicta, ut in ea emphaticè consentiamus, nostraque ita reputemus, ac si ipsis eadem præstissemus, indubium est Jer. V: 3. Ebr. XI: 5. 6. Fide vero solum in imputationem meriti Christi ita consentimus, satisfactionemque Ejus ut ad nos pertinentem apprehendimus nobisque appropriamus Joh. III: 16. 36. Rom. IV: 3. seqq. I. Joh. V: 11. 12; adeo ut in Christo, quem anima tamquam Salvatorem suum unicum & sufficientissimum recipit, adquiescentes, nihil ultra ad justitiam salutemque desideremus Ps. LXXIII: 25. 26. Matth. I: 21. Joh. I: 12. XIV: 6. Act. IV: 12. XV: 11. Rom. IV: 5. I. Cor. I: 30. Col. III: 11. Ast cujusque fana mente instructi propria experientia comprobat, res, quarum cognitio se latet, nec appetitus neque aversationis lux esse objecta. Si quid enim vel appetemus, prius ab intellectu cognitum & approbatum, voluntati ut bonum acceperandum representabitur; vel si quid aversabimur, sufficiens aversationis adesse debet ratio, in representationibus intellectus idem improbantis, querenda. Fides jam in imputationem meriti Christi prægnanti ratione contentiens, & ad intellectum pertinet, qui satisfactionem Christi, homini ad justitiam ac salutem imputandam cognoscit atque agnoscit, & ad voluntatem, quæ Christum

Media-

Mediatorem inter Deum & homines, cognitum atque agnatum ita acceptat, ut merita Ejus imputanda avide cupiat & vere appropriet. Absit itaque ut fidem, qua adulti homines iustitiam Christi coram Deo valentem & ad salutem necessariam consequuntur, absque prævia & explicita in intellectu Christi Mediatoris Ejusque reconciliationis cognitione, in voluntate locum obtinere posse, statueremus Ies. LIII: 11. Joh. XVII: 3. I. Tim I: 15. Divinae vero voluntatis consilium, de salute nostra post lapsum reparanda & restituenda, rationi sibi relicta adeo manet incomprehensibile, ne gentes extra Ecclesiam constitutæ, sufficientia ad salutem æternam perveniendi media, ex principiis rationis unquam perspicere valeant I. Cor. II: 7, 8, 14. II. Cor. III: 5. Sacra autem Scriptura, jure meritoque pro revelato Dei verbo habenda, sufficiensimum & unicum nostræ cum Deo reconciliationis medium, ac viam salutis apud Deum in æternum consequendæ, tot tamque firmis commendat & commonstrat argumentis, ut neminem, nisi eum fortasse, qui, perversis suis cupiditatibus indulgens, aut fundamenta, quibus veritas divinitasque ejus superstruitur, cognita sibi reddere culpatius negligit, aut lucem veritatis horrendo prosequitur odio, serio in dubium vocaturum putaverim Joh. V: 39. XX: 31. Act. XX: 27. II Tim. III: 15. Unde facile concludimus: eos tantummodo vi meriti Christi salvos in æternum esse evasuros, qui Deum, verbo suo revelato, quod illuminationis, conversionis, regenerationis, sanctificationisque nostra est medium Joh. XVII: 17. Act. XIV: 15. I. Cor. IV: 15. Tit. II: 11. 12. I. Pet. I: 23. II. Pet. I: 19. conversionem peragere, & ad fidem in Christum se deducere patiuntur; adeo ut a tenebris ad lucem & e potestate satanae ad Deum conversi, sine metu e manu inimicorum suorum liberati, serviant Ipsi, cum sanctitate & iustitia, in Ipsius conspectu cunctis vitae sue diebus.

Act.

**A&t; XXVI: 18.** Luc. I: 74 75. Sed hæc quum ita sint; beatitatem æternam vi meriti Christi, intra Ecclesiam, quam Deus verbo Evangelii, semine isto incorruptibili & in æternum manente I. Pet. I: 25. sibi colligit, obtinendam esse, nemo non videt. Hinc etiam Apostolus aurea hæc protulit verba: *quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audiverant? Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei Rom. X; 14, 17.*

### §. VII.

Jam nostra magni sine dubio interest, palmaria argumenta Adversariorum, Deum gentiles moratores, si non ob leges naturales impletas, tamen propter satisfactionem Christi, & sine explicita ejus cognitione, salvare statuentium, qua decet modestia paucis expendere. Ut vero eo felicius hoc in negotio progredi queamus, inter infantes & adultos primo distinguendum est. Jam quidem infantibus, qui in peccato concipiuntur & nascuntur, prout tota Scriptura passim testatur Gen. VI: 5. VIII: 21. Job. XIV: 4. Joh. III: 6. Rom. V: 12. Eph. II: 3. V: 26, 27, salutem ordinarie per baptismum donari creditimus, secundum effatum Salvatoris: *nisi quis generatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum Dei* Joh. III: 5. Minime tamen Deum se gratiamque suam huic Sacramento absolute alligasse putamus; sed infantes Christianorum ante receptum baptismum decedentes, per fidem extraordinarie in illis accensam, in æternum felices salvosque iri, ob plures rationes, quas nunc adferre non vacat, contendimus. Quod autem ad infantes extra Ecclesiæ pomœcia natos attinet, de illorum post mortem statu in primis diversæ Theologorum dantur sententiae. Sed si vel maxime severiora Theologorum placita omit-

tere-

teremus, & cum illis, qui de iis optime sperant, urgemos, Deum, cuius gratiae fœdus & philanthropia, æque ac meritum Christi, ad omnes homines se extendit, & qui ideo non vult, ut unus ex parvulis pereat, Matth. XVIII: 14. infantes gentilium, usū rationis reflexo carentes, & discribentur inter dextram atque sinistram nescientes Jon. IV: 11. adeoque actu media fidei & salutis contumaciter non rejicientes, eadem extraordinaria sua gratia salvaturum; inde tamen nequaquam queretur, adulteros paganos, usū rationis gaudentes, qui anima sua rationali Deum sine intermissione perfecte colere debent, licet id præstare non valeant: (§. III.), Christum vero, per quem nunc unice aditus pater ad Patrem, ignorant, adeoque pretiosissimum Ejus reconciliationis beneficium, siue quo nemo coram Deo justificatur atque salvatur, fide sibi applicare nequeant, coelestia atque aeterna apud Deum gaudia esse consecuturos. Scriptura enim Sacra hanc vocat vitam aeternam, ut cognoscamus solum verum Deum, & quem misit Iesum Christum Joh. XVII: 3. Dissidentes vero gentilibus quoque adulteræ aetatis, luce revelationis destituti, lumine autem rationis, legem naturæ, quantum valeant, servantibus, ex universalis Dei gratia, propter ignoratam in Christo factam reconciliationem, aeternam apud Deum salutem promittunt, atque inter alia objiciunt: inculpatam, forsitan suo judicio, ignorantiam, qua quosdam, crassis admodum obductos tenebris, voluntate non pervicaci affectos, alicubi reperiendos statuunt, excusare. Sed respondemus: omni modo inculpata ignorantia ordinis salutis impossibilis est demonstratu. Rumor enim Evangelii, aetate mundi creari atque aquis diluvii inundati, toti generi humano annuntiati, a Judæis, quos Deus ut peculium sibi delegerat, antiquioribus temporibus, successu temporis, in omnes eas culti orbis perulgabatur regiones, quibus cum Judæis aliquid

intercedebat negotii. Et cum tempus adventui Messiae destinatum magis magisque appropinquaret, Iesusque incarnatus, quem nos colimus & adoramus, doctrina sua cœlesti, beneficiis miraculisque stupendis se Messiam re ipsa probaret, fama hæc in primis invaluit, mundusque restitutus, lucis salutaris per Christum orientis factus particeps, eandem per universum saltem cultioris orbis ambitum disseminavit. Animos quoque gentilium Deus, pro summa sua sapientia, ante & post mortem Immanuelis nostri, variis modis præparare dignatus est, ut doctrinam Evangelii tanto facilius admitterent. Hoc se facturum etiam per Prophetam Haggæum pollicetur: *Et commovebo omnes populos &c.* Hagg. II: 7. Quod autem gentes pleræque lucem Evangelicam paullatim perdiderint, perficta fronte contemptam penitus extinguere omnibus viribus allaborarint, eoque semet ipsas in tam horrendam & nunquam tatis deplorandam mentis occationem detruserint, ut scintillulas etiam Evangelii profligati ex animis suis tenebris fascinatis amiserint, & in turpissimas degenerarint superstitiones; id sane est, si rem accurata judicii trutina ponderare velimus, ob quod, a Deo, qui reum insontem pronunciate nequit, Jes. V: 20. gravissimas luant pœnas. Sed instas: quid omnino ad rem facit, si vel maxime concedendum esset, nullum fuisse populum tam aut remotum aut barbarum, cuius majoribus Evangelium quodam tempore mundi non innotuerit, quid, inquam, ad rem facit, si una hominum ætas illis in ipsis populis Evangelium habuit, neque tamen illud ad posteros propagavit? Verum respondemus: nec posteri ejusmodi populorum excusandi, quatenus ne minimum forsitan majoribus facinore cedunt, delictis vero eorum una mente & voce assidentes, vias illorum turpissimas sequantur, periculosamque imitationem exempli reliquis in posterum produnt. Adeoque, licet luce Evangelii nun-

nunquam fuerint collustrati; quoniam tamen lumine na-  
turæ recte uti neglexerunt, nec per illud ad verum De-  
um quærendum se manuduci passi sunt, inexcusabiles e-  
vadunt Rom. I: 20. Et si corruptionem nostram, subje-  
ctive & objective universalem (§. II.), simul in mentem  
novis revocare voluerimus; fabulas s. cogitationes eo-  
rum, qui pervicaciam in gentilibus, revelatione superna-  
turali destitutis, inveniendam non esse autumant, aut vir-  
tutem optimorum inter paganos hominum tantopere ce-  
lebrant, vix ac ne vix quidem fixas & recte fundatas es-  
se, facile videbimus, Eph. II: 3. IV: 17. 18. I Pet. IV: 3.  
Nec conjecturæ firmis & rectis stant talis, si manibus  
pedibusque qualemque auxilium inde depromitum quæ-  
siveris, atque adeo urgeas: eos velle perfecte servare legem  
Dei, si id possent, velle obedire Evangelio, si illud sci-  
rent. Neminem enim natura intelligere, quæ ad salutem  
scitu sunt necessaria, legemque Dei servare posse, pluri-  
ma Scripturæ Sacrae effata nos evictos tenent, & dome-  
stica cujuslibet experientia satis superque testatur (§. III.)  
Ast ignorantia hæc vincibilis, impotentiaque legem Dei  
servandi sanabilis est; quia Deus nobis lapsis Filium suum  
& Spiritum donavit, ut per naturam extra Ecclesiam &  
consortium Dei constituti, & in peccatis mortui Eph. II:  
1. 12. Col. I: 21. ductu Spiritus Sancti, e statu peccati  
in statum gratiæ, ordine salutis a Deo præscripto transi-  
remus, & ad officium sponte redire alliceremur. Qui i-  
taque ordinem Dei sequuntur, obedientiam erga voca-  
tionem Divinam declarant suam, salutemque recte desi-  
derant; qui autem eundem non admittunt, sed impedi-  
unt, inobedientiam & incuriam de salute testantur sua.  
Nec constans hæcce eo conculcatur veritas, quod sint  
qui dicant: fuisse saltem nonnullos, etiam in ejusmodi  
peßimis gentibus, qui Summi Olympi Rectoris gratiam  
& veram cognitionem desiderarunt. Deus enim, cuius

Filius unigenitus nobis lapsis factus est iustitia, multos iu-  
stificans Ies. LIII: 11. I Cor. I: 30. viamque iustitiae mon-  
strans, quem solum, ut a Patre cœlesti nobis datum do-  
ctorum, audire tenemur Deut. XVIII: 19. Ies. LXIII: 1.  
salutem mortalium omnium serio vult, immo juramento  
se velle confirmat Ez. XXXIII: 11. Act. XIII: 48. I Tim.  
II: 4. II Pet. III: 9. Nullum ergo est dubium, quin De-  
us, qui ab initio Ecclesiam sibi collegit, &c usque ad fi-  
nem mundi est collecturus, veritates Evangelicas, quæ  
maximis homines beneficiis Christi ditant, oculis omni-  
um gentilium, lumine ac duce natura ad idola colenda  
sua abutentium, videndas & conspicuas exhibuisset, nisi  
opus irritum sibi suscepturum præsciisset. Velle enim fi-  
nem & nolle media, quæ fini obtinendo sufficiunt, in  
Deum non quadrat. Deum itaque, qui serio vult salu-  
tem, media quoque, quibus eadem obtineatur, velle o-  
portet. Si vero asseveraris: quosdam tamen homines,  
inter gentes criminosas, esse inveniendos, qui veram &  
Dei cognitionem & gratiam desiderant serioque querunt.  
Resp. bonitas Dei summa, universalisque Ejus φιλανθρωπία,  
istam bonam nobis afferunt spem, ne Deus eosdem, si  
alicubi tales invenerit, auxilio destitutos deferat, sed spe-  
cialiori nobisque incognita providentia sua, seu gratia  
præveniente generali, ad Christum, per quem nobis ad  
Deum Patrem accessus patet Eph. II: 18. fide vera reci-  
piendum perducat; adeo ut in Illo novæ factæ creaturæ  
II Cor. V: 17 atque sub Ipsius vexillo bonam militiam  
militando II Tim. IV: 7. metam beatitate & gloria ater-  
na donaturam contingent.

### §. VIII.

Pergimus jam ad nonnulla locorum istorum Scriptu-  
rae examinanda, quibus salutem gentilibus promittentes,  
opib

opiniones suas confirmare conantur. Quod itaque ad dictum Petrinum Act. X: 34. 35. quo ad hanc adimicata sententiam suam defendendam se uti posse arbitrantur, attinet, cavendum est, ne statuamus Apolitolum affirmasse, religionem cuiusque gentis popularem Deo acceptam gratamque fore, vel etiam modum Deum colendi, quem gentes, usu rationis qualicunque aut etiam optimo, sibi comparare possunt, id effecturum, ut officio suo satisficiant, Deoque specialiter gratæ reddantur. Apostolus enim, ut populum Judaicum tumidum & insolentia inflatum, omnes gentes præter se Deo ingratas judicantem, reselleret, gentes quascunque, ordinem salutis a Deo institutum sequentes, Illumque ritus vera & explicita fidē colentes, ipsi placere affirmans, *πειρωντας θεον*, in salutis negotio unius gentis præ altera negat. Aniam autem effato suo præbente Cornelio Centurione, qui fama illa, quæ tunc longe lateque de Christo vulgabatur, e pristinis suis crassis tenebris in lucem vocatus, promissiones de Christi Officio Mediatorio cognitas atque perspectas habere potuit, licet easdem in Persona IESU Nazareni impletas esse ignoraverit, cuius ideo ulteriore notitiam a Petro accepit, qui oracula Veteris Testamenti, de Christo testimonium perhibentia, complementa sua in Illo incarnato obtinuisse, firmis & stabilibus probavit argumentis. Frustra quoque ad similitudinem Matth. XXV: 14-30. a Christo propositam, viri secus sentientes configiunt, quod scilicet Deus unicuique bona sua tradiderit, & huic quidem quinque, isti autem duo, illi vero unum talentum, secundum propriam uniuscujusque facultatem dederit; adeoque dicunt, Deum ab eo, qui unum acceperat, exigere nequire, ut tantum conficeret, quantum illi, qui duo & quinque acceperant, lucrati sunt. Sed voluit tamen Deus, ut quisque bono sibi concessio restet uteretur; qua propter etiam servum inutilem, qui talentum in terra ab-

Icondidit, in tenebras exteriores ejiciendum curavit. In eo itaque cardo rei vertitur: si Ethnicus uno sibi concesso talento rite uteretur, adhuc talentum acciperet, id est, tanta cognitione Christi & salutis collustraretur, quanta condemnationem æternam evitare posset; si autem talentum, quod acceperat, in terra abscondiderit, h. e. donis concessis naturalibus non recte utatur, eaque emendare non studeat, & si ita voluntatem Domini sui non cognoverit, atque insuper digna fecerit plagis, vapulabit Luc. XII: 48. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ab eo vero, qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.* Neque effatum Salvatoris, Matth. VIII: 11. 12. descriptum, gentiles sine notitia Christi salvari comprobant; sed occultum istud justumque Dei consilium indicat, quod regnum Dei auferretur a Judæis, & daretur genti facienti fructus ejus Matth. XXI: 43. Verba autem Salvatoris, Joh. XV: 22-24. prolatæ: *si non venissem & locutus essem eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent, quo peccatum suum prætexant. Si opera non fecissem inter eos, quæ nullius alius fecit, peccatum non haberent: jam vero & videbunt & oderunt non solum me, verum etiam Patrem meum,* Christi ejusque cœlestis doctrinæ contemtum, dilucide ante oculos Judæorum ponunt. Jam certum quidem est, gentes, doctrina Christi nunquam collustratas, huic criminis non esse obnoxias; aliis tamen vitiis, justam vindictam æternamque condemnationem a Deo expostulantibus, contaminatae, præsidio innocentiae minime sunt tuendæ, plagiis vero, licet levioribus quam Evangelii protervi contemtores, dignæ censenda Matth. XI: 22. Luc. XII: 47. 48. Nulla porro inde certitudo illorum accedit sententia, cum quibus hic nobis res est, quod maxime urgeant, *āmīcēv* Marc. XVI: 16. & alibi, non esse ignorare aliquid, sed auditis fidem negare; nec omnino ad illos referri posse, qui nunquam auditis fidem nec habent nec abrogant. Licet

cet enim Evangelium omnibus gentilibus nunquam innotuerit, & quamvis, ut Evangelii nulla sua culpa direcete ignari, ob Ejus contemtionem & rejectionem non condemnentur; quum tamen ex lumine, quod natura superstes reliquit, ad verum Deum, quem opera Ejus in toto regno naturæ conspicua prædicant Act. XVII: 24-28. cognoscendum & colendum perduci nequierint, nec eam, quam debuissent, omnibus ejus præceptis vere & constanter exhibuerint obedientiam, ita ut per totam vitam peccatis vacaverint proæreticis; minime insolentes censendi, sed *ἀνωλόγοι αἵρετοι απόλογοι των* Rom. I: 20. II: 12. Dominus enim noster justissimus infliget ultionem iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri JESU Christi: qui pñnam luent, interitum æternum. 2 Thess I: 8. 9. Nec obstat, quod objiciatur: Apostolum in dicto citato, atque Eph. II: 12. aliisque locis, per eos, qui Deum non noverant, atque erant sine Christo, ab alienati a republica Israëlis, & peregrini a Testamento promissionis, spem non habentes, & Athei in mundo, intellexisse tantummodo gentiles vitiis deditos. Hypothesis enim hæc nullis solidis rationibus est evicta, cum Scriptura vero Sacra, quæ gentiles, quales natura sunt, generaliter vocat Deum ignorantes Ps. LXXIX: 6. Jer. X: 25. 1 Thess. IV: 5. conf. Joh. VIII: 19. 1. Joh. II: 23. adversa pugnat fronte. Hinc & Clemens Alexandrinus ait: *αἴτιος δὲ ἐμότως αποκαλῶ τέττας, οἱ τὸν μὲν ὄντως ὄντα Θεόν ἡγούμενοι* vid: pluribus Wolfius ad h. l. Arcti, quibus dissertationem hanc circumscribere voluimus limites, plura adferre prohibent.

## §. IX.

Quod supereft, coronidis loco, verbo tantum indicasse sufficiat: cognitionem salutis, quam ex Sacris pandectis

dectis haurimus, adeo late se non extendere, ut per con-  
tationibus nostris de gentium, quæ alio revelationis lu-  
mine, quam naturali, nunquam fuerunt instructæ, ad for-  
um scrutinii nostri non pertinente salute, quid proficeremus. Si enim gentiles vel æternam adepti fuerint felicitatem, vel sempiternum tulerint interitum, fruitionem  
salubrium merito Christi adquisitorum bonorum nobis  
non pariet, nec impediet ne aliquando reapse eorum e-  
vadamus participes. Consultius itaque iudicamus, in te-  
stimonii Scripturæ S. simpliciter adquiescere, quam res  
rationi impervias, ultra ejus curta emeriti velle. Hinc  
sciamus, nihil imprætentiarum nobis arctios esse injun-  
ctum, qui im̄ ut ad Deum, salutis arcem & palladium, sup-  
plies confugiamus, enixe rogantes, velit Ille, qui arca-  
na sua consilia, nobis scitu necessaria, in verbo suo scri-  
pto nobis revelavit, Spiritum suum Sanctum mittere Joh.  
XIV: 26. cuius auxilio, Salvatorem nostrum vividius co-  
gnoscere discamus, omniaque Ejus generi humano para-  
beneficia per fidem gustemus Ebr. VI: 4! Atque ita Chri-  
sto veræ vici ut palmites inserti Joh. XV: 1. 4. 5. in Chri-  
stianissimi stadio crebroque exercitio, toto pectore & o-  
mni cogitatione cutaque in id incūbamus, ut, usque  
ad finem vitæ in fide perseverantes, coronam justitiae re-  
portemus, vitam scilicet æternam, bonorum ineffabilium  
fortem & copiam! Math. XXIV: 13. I Cor. IX: 24. 25.  
Phil. III: 10. II Tim. IV: 8. Apoc. II: 10. III: 21. Faxit  
Deus, omnis bonitatis arque salutis fons, ut tandem, cum  
incolis cœlestibus, sine intermissione, spiritualia & æter-  
na laudum gratiarumque actionum sacrificia offerre, læ-  
sum paean canere, nobis liceat, Soli & Unico Æterno  
ac Optimō Numini, cuius gloria ultimus omnium  
rerum est finis!